



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

Quid sit fides iustificans.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

perfectionem nostram, Sed promissio offert nobis oppressis peccato & morte gratis reconciliationem propter Christum, quæ accipitur non operibus, sed fide. Hæc fides non affert ad Deum fiduciam propriorum meritorum, sed tantum fiduciam promissionum seu promissæ misericordiæ in Christo. Hæc igitur fides specialis, qua credit unusquisque sibi remitti peccata propter Christum & Deum placatum & propiciu esse propter Christum, consequitur remissionem peccatorum, & iustificat nos, & quia in pœnitentia, habet, in terroribus consolatur & erigit corda, regenerat nos, & affert Spiritum sanctum, ut deinde legem Dei facere possimus, videlicet, diligere Deum, verè timere Deum, verè statuere, quòd Deus exaudiat, obedire Deo in omnibus afflictionibus, mortificat concupiscentiam, &c.

Ita fides, quæ gratis accipit remissionem peccatorum, quia opponit mediatorem & propiciatorem Christum iræ Dei, non opponit nostra merita, aut dilectionem nostram, quæ fides est vera cognitio Christi, & utitur beneficijs Christi, & regenerat corda, præcedit legis impletionem. Et de hac fide nulla syllaba extat in doctrina aduersariorum nostrorum. Præterinde reprehendimus aduersarios, quòd tantum tradunt iustitiam legis, non tradunt iustitiam Euangelii, quod prædicat iustitiam fidei in Christum.

### *Quid sit fides iustificans.*

**A**dversarij tantum fingunt, fidem esse notitiam historiam, ideoq; docent eam cum peccato mortali posse existere. Nihil igitur loquuntur de fide, qua Paulus toties dicit homines iustificari, qui reputantur iusti coram Deo, non versantur in peccato mortali. Sed illa fides, quæ iustificat, non est tantum notitia historiam, sed est assentiri promissioni Dei

in qu



in qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum & iustificatio. Et ne quis suspicetur, tantum noticiam esse, addemus amplius, est velle & accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum & iustificationis.

Ac facile potest cerui discrimen inter hanc fidem, & inter iustitiam legis. Fides est *λατρεία*, quæ accipit à Deo oblata beneficia: Iustitia legis est *λατρεία*, quæ offert Deo nostra merita. Fide sic vult coli Deus, ut ab ipso accipiamus ea, quæ promittit & offert.

Quòd autem fides significet non tantum historice noticiam, sed illam fidem, quæ assentitur promissioni, aperte testatur Paulus, qui ait: Iustitiam ideò ex fide esse, ut sit firma promissio. Sentit enim promissionem non posse accipi, nisi fide. Quare inter se correlatiue comparat & connectit promissionem & fidem. Quamquam facile erit iudicare, quid sit fides, si symbolum consideremus, ubi certè ponitur hic articulus, Remissionem peccatorum. Itaque non satis est credere, quòd Christus natus, passus, resuscitatus sit, nisi addimus & hunc articulum, qui est causa finalis historice, Remissionem peccatorum. Ad hunc articulum referri cætera oportet, quòd videlicet propter Christum, non propter nostra merita donetur nobis remissio peccatorum. Quid enim opus erat Christum dari pro peccatis nostris, si nostra merita pro peccatis nostris possunt satisfacere.

Quoies igitur de fide iustificante loquimur, sciendum est, hæc tria obiecta concurrere, promissionem, & quidem gratuitam, & merita Christi tanquam precium & propitiationem. Promissio accipitur fide, gratuitum excludit nostra merita, & significat tantum per misericordiam offerri beneficium, Christi merita sunt precium, quia oportet esse aliquam certam propitiationem pro peccatis nostris. Scriptura crebrò misericordiam implorat. Et S. Patres sæpè dicunt, nos per mise-



ricordiam saluari. Quoties igitur fit mentio misericordie, sciendum est, quod fides ibi requiratur, quæ promissionem misericordie accipit. Et rursus quoties non de fide loquimur, intelligi volumus obiectum, scilicet misericordiam promissam. Nam fides non ideo iustificat, aut saluat, quia ipsa sit opus per sese dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam.

Et hic cultus, hæc λατρεία, in Prophetis & Psalmis passim præcipue laudatur, cum tamen lex non doceat gratuitam remissionem peccatorum. Sed Patres nonnulli promissionem de Christo, quod Deus propter Christum vellent remittere peccata. Igitur cum intelligeret, Christum fore precium pro nostris peccatis, sciebant operum nostra non esse precium rei tantæ. Ideo gratuitam misericordiam & remissionem peccatorum fide accipiebant, sicut sancti in nouo testamento. Huc pertinent etiam crebræ repetitiones misericordie & fidei in Psalmis & Prophetis, ut hic: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hic confitetur peccator nec allegat merita sua. Addit: Quia apud te propitius est. Hic erigit se fiducia misericordie Dei. Et citat promissionem: Sustinuit anima mea in verbo eius. Sperauit anima mea in Domino, id est, quia promissam remissionem peccatorum, hac tua promissione sustentor. Itaque & Patres iustificabantur, non per legem, sed per promissionem & fidem. Ac mirum est aduersarios ad extenuare fidem, cum videant ubique pro præcipuo cultu laudari, ut Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Ita vult innotescere Deus, ita vult se coli, ut ab ipso accipiamus beneficia, & quidem accipiamus propter ipsius misericordiam, non propter merita nostra. Hæc est amplissima consolatio in omnibus afflictionibus. Et huiusmodi consolationes abolent aduersarij, cum fidem extenuant, & vituperant, & tantum docent homines per opera & merita cum Deo agere.